Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 785
Quelle:
Copyright:

lius hominis. quia non tantum hominis sed et filius dei est. Seruata namque utriusque naturę ueritate et proprietate lumini deitatis accessit testa humanę infirmitatis. ut esset lumen in testa. uerbum in carne. deus in homine. Hic est lapillus ille paruus de monte sine manibus prącisus &c. *Magistrum Sententiarum* audis in sacris Literis versatissimum; sed non minus mores his Sermonibus format et affectu pollet. Itaque mihi non tempero, quin *Serm.* XXII. ingressum adscribam. *Egenus sum ego et pauper domine. et claudus ex utero matris mەę. et ecce sedeo ad portam templi tui quę dicitur speciosa non ualens nec uolens introire. quin potius egestate bonorum tuorum mendicans foris alimoniam carnis meę aereas et falsas imagines hominum. ut coaceruem mihi talentum iniquitatis. fasciculos deprimentes. et ecce hora nona est. Ascendit petrus et iohannes apostoli tui. ut orent ad templum sanctum tuum. Ego autem hęreo terrę et luto terrena et vana sapiens. et aliis introeuntibus ego foris remaneo cum aliis non quęrens ea quę patris mei sunt. sed quę primi parentes mei. qui me huc foras cottidie ponunt. male concupierunt. Et certe hora iam orationis nona est. inclinata est dies. prope est nox. cum surrexero mane diluculo de his quę nunc mendico nihil in manibus meis reperiam. Hora orationis nona est. Orasti enim hora nona pendens in cruce. Orasti inclinato capite. clamans uoce magna expirasti. Orasti inclinato capite in spiritu humilitatis. clamans uoce magna. secretissimo affectu paternę et nostrę caritatis. et in illo domine clamore ualido expirasti. et eundem quem de nobis tunc habebas compassionis animum tecum asportasti. et credo domine quod adhuc tecum reservas. quia caritas tua refrigescere nescit.* &c. Egregium Παθος et nihil infra *Bernhardum* συγχρονον! Sermo postremus incipit: *Sollempnem obseruantiam huius festiue diei a ritibus gentilium superstitionum in religionem commutatam suscepit ecclesia dei* &c. et totus historicus est narrationem ab *Augusti* victoria *Actiaca*, mensque *Sextili* deinceps *Augusto* dicto usque ad *Petri* Catenas *Hierosolymae* ab Judaeo quodam *Eudoxiae* Aug. oblatas, *Romam* perlatas, et inde institutum festum diem texens, mentione quidem *Romanarum* etiam Catenarum, sed nullius inter utrasque coalitionis facta. Ut dicam, quod sentio, *Sermo* hic cum ob aliam, qua exaratus est, manum, tum praecipue ob methodi, stilique diversitatem ad *Petrum Lomb.* pertinere non videtur, luce tamen nihilo ceteris minus dignus.

Codicem olim Monasterii *Mellicensis* in *Austria* infer. fuisse suadet *pag. ult.* Epistola Abb. *Johannis*, qui fuit hoc nomine II. et totius conventus significans foederatis Coenobiis O. S. Ben. et Collegiis Canonicorum Reg. obitum Monachorum *Petri de Stain*, *Wolfgangi dicti Grill*, et *Ludovici* pariter II. Abbatis, cui apud *Anselm. Schramb P. IV. Chron.*